

Jacobi notulis ex utraque *Glossa* hinc inde adspersas. *Fol.* 41. p. 2. per errorem inchoata est *Prima ad Thessalonic.* post *Secundam ad Corinth.* sed loco suo integra recurrit. *Prima Job.* c. 5. Testimonium duplex sic conceptum est: *quia tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt, et tres sunt qui testimonium dant in celo Pater verbum et spiritus et hij tres unum sunt.* *Jacobi* Epistola ultima posita est; monetur tamen in calce: *Explicit epistola beati Jacobi Apostoli, Que in ordine aliarum epistolarum Canoniarum debet esse prior, ut patet in prologo huius epistole;* sunt enim Epistolis praefixa brevia Summaria. Ceterum exigui momenti Codex.

LVII. VI. E 24.

312 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 144. f. luculente scriptus, literisque initialibus quadratis picturatis decorus complectitur: I. *Divi Pauli Apostoli Epistolas* XIV. ita, ut Epistola *ad Coloss.* postponatur binis *ad Thessalonic.* et Epistolae *ad Hebr.* adtextata sit spuria *ad Laodicenses.* Praemittitur primo suppresso nomine *Praefatio generalis Hieronymi in omnes Pauli Epistolas* ita: *Incipit Prologus. Primum quaeritur quemadmodum post Euangelia quae Supplementum legis sunt &c. Sequitur specialis ejusdem in Epistolam ad Rom.* hic inscripta: *Item. De Romanis aliud Argumentum. Romani qui ex iudeis gentilibusque*

crediderant &c. Demum subnectitur locus ille e *Comment. in Epist. ad Galat.* de quo ad *Cod.* LVIII. Epistolae ipsae non tantum utroque latere, sed inter ipsas etiam lineas stipantur expositionibus minuto charactere exaratis, e *Beda, Hrabano* et *Glossa Ordinaria* ut plurimum depromptis. Epistola *ad Rom.* secta est in Particulas LI. Binae *ad Corinthios* praeferunt Indicem *Capitulorum.* Prima quidem LXXII. altera XXVIII. Sub finem *Epist. ad Galat.* voci *Stigmata* recentior paullo manus inscripsit *alagiuuis ceican.* Praeter *Summaria* Epistolis praefixa, et in antiquioribus etiam Bibliorum editionibus obvia *Epistolae ad Hebr.* praemissus est *Prologus,* qui in *Bibliis glossatis* inscribitur *Argumentum,* et incipit: *In primis dicendum est quur apostolus paulus in hac epistola scribendo non seruaerit morem suum &c.* Ultima est *Epistola ad Laodicenses* absque ullis notis.

II. *fol.* 120. *Incipiunt Epistolae Canonicae. Feliciter. Incipit Prologus.* Idem *Hieronymi* qui praefixus est in *Bibl. glossat.* et infit: *Non ita ordo est apud Grecos &c.* Occurrunt et hic *Glossae Theotiscaae:* integre. *kanzo.* quodammodo *ceddes licherouuis.* corrodendam *ce zanonne,* *ce chiuuanne.* falsarium *lugenare.* corruptorem *Zkntbrecherare.* Epistolae ipsae ordine recepto se consequuntur, praemissis cuilibet *capitulis,* aut, ut hic etiam adpellantur, *Brevibus.* Tituli et Clausulae omnium literis majusculis coloratis.

loratis. Margines et Interlineare notulis adsparguntur, ut in *Paulinis*, quarum tamen hic non paucae *Theotifcae*, ut in Epistola *Jacobi*: conceperit *ent fabit*. initium *furisti herote*. acceptione *antfan*ge. exaltat *uberbarit* &c. et in his multae, ut videtur, cryptographicae. Ita in *ead.* Epistola: ad vocem *salutem* in marg. *vuplb quufdi*. ad vocem *personarum hercupmp*. ad vocem *Regalem riblkcb* &c. quibus extricandis immorari haud vacat. Codicem tamen vetustae linguae nostrae Indagatoribus commendo. *Job. I. c. 5.* testimonio coelesti omisso terrestre sic legitur: *quia tres sunt qui testimonium dant* (adjecit glossator *in terra*) *spiritus et aqua et sanguis et tres unum sunt.*

Exemplum hoc egregium utrinque ambiunt Membranae duae *hebraicae* decerptae ex Tractatu *Talmudico ערוכי* seu *de Mixtionibus* fat vetustae.

LVIII. VIII. 26

237 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 160. f. manu *Mariani Scoti* celebris Chronographi, qui per vices Coenobia O. S. B. *Coloniae, Fuldae, Moguntiae, Ratisbonae* incoluit, et a. 1086. diem clausit, elegantissime scriptus et rubricis distinctus continet *D. Pauli Apostoli Epistolas omnes* eodem ordine, quo in Bibliis hodie leguntur, nisi quod Epistolis ad *Coloss.* et *Thessalonic.* interjecta sit spuria illa ad *Laodicenses*. Hac porro excepta reliquae non tan-

tum glossis inter lineas passim notatae sunt, sed ad margines plurimis PP. locis illustrantur, scilicet *Gregorii, Fulgentii, Cassiani, Augustini, Hieronymi, Origenis, Haimonis, Leonis et Alcuini*, quibus accedunt *Liber Pastoris, Petrus Diac. Ambrosiaster* nunc in T. II. Edit. *Maur. Paris.* 1690. *append. p. 21.* rejectus, et *Pelagius*, cujus *Commentarii in Paulinas* leguntur T. XI. Opp. *Hieronymi* edit. *Vallars.* Col. 835. atque ita quidem, ut usque ad Epistolam ad *Coloss.* *Gregorius*, hinc vero usque ad finem *Pseudambrosius* ille praevaleat. Loca haec PP. si cum ipsis eorum Operibus conferrentur, meliorem fortassis hinc inde lectionem subpeditarent. Jam vero Codici sequentia praemittuntur: Primo *Incipit prologus hieronimi in epistolam ad romanos.* Habetur hic T. VI. *Biblior. glossat. Lugd.* 1545. *fol. 2.* sed nobis haec praecedunt: *Romanos non dum uiderat apostolus. nec in eis ipse. ut in ceteris primus fidei iacerat fundamentum. Sed aliis discipulis crediderant predicantibus* (glossa *barnabas et clemens* interjicit) *Ab apostolo indigent confirmari. Sic ipse dicit. Desidero enim uidere uos. ut aliquid impertiar uobis gratie spiritualis ad confirmandos uos. His ergo nunc scripsit. qui cum ex iudeis. et gentibus credidissent superba contentione* &c. et deinceps ut in editis, sed non fine multa lectionis variatione. Secundo *Incipit Argumentum hieronimi in epistolam ad romanos.* Non inuenio in *Hier.* Operibus nisi locum